



Hg. 13

5

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
DE  
**INSVFFICIENTIA**  
**RATIONIS**  
AD  
**SALVTEM**

---

QVAM  
*AMPLISSIMI COLLEGII PHILOSOPHICI*  
*PUBLICA AVCTORITATE*  
PRAESIDE  
**M. CHRISTOPHORO ANDREA**  
**BUTTNERO**  
FAC. PHILQSOPH. ADIVNCT.  
IN FRIDERICIANA  
D. MART. ANNO MDCCXXXV.  
EXERCITII GRATIA DEFENDET  
**GOTTLIEB CHRISTIANVS OTTO**  
LIPSIENSIS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE  
TYPIS IOAN. FRIDERICI GRVNERTI, ACADEM. ET SENAT: TYPOGR.

DESERETIOT PHILIPPOPHIC  
APPIANUS  
SOPHIA ALEXANDRA  
MELITA

CHRISTOPHERO ANDREA  
BUTTERNI  
CHRISTIANA  
GOTTFRIDUS OTTO

FRATRIBVS GERMANIS:  
V I R O  
SVMME REVERENDO, MAGNIFICO,  
EXCELLENTISSIMO,  
D O M I N O  
CHRISTIANO FRIDERICO  
WILISCHIO,  
DOCTORI THEOLOGO CONSUMMATISSIMO, PASTORI  
ECCLESiarum FREIBERGENSIUM PRIMARIO CELEBERRIMO,  
NEC NON EIVSDEM DIOECSEOS SUPERINTENDENTI ME-  
RITISSIMO GRAVISSIMOQUE, GYMNASII ITEM IN-  
SPECTORI VIGILANTISSIMO,  
DOMINO AC PATRONO SVO SVM-  
MA PIETATE DEVENERANDO,

V T E T  
V I R O  
MAXIME REVERENDO, AMPLISSIMO,  
DOCTISSIMOQUE,  
D O M I N O  
M. CHRISTIAN. GOTTHOLD  
WILISCHIO,  
PROTO-MYSTAE NICOLAITANO APVD FREIBERGEN-  
SES DIGNISSIMO AC FIDELISSIMO,  
DOMINO, AFFINI, ET PATRONO SVO  
OMNI CVM CURA PARITER  
AC OBSERVANTIA AD VRNAM VSQVE COLENDO,

EXERCITIVM HOCCE ACADEMICVM,  
EX DEBITA PIETATE, EAQUE, QVA DECET,  
REVERENTIA, VNACVM PROMTISSIMA GRATVLATIO  
NVM AC OFFICIORVM OBLATIONE  
OFFERT, ATQVE SACRVM ESSE CVPIT

# TANTORVM NOMINVM

WCHRISTIANGOTTHOLD  
WALTSCHO

Gottlieb Christianus Otto,  
Lip<sup>o</sup> denotus cultor

PRAEFATIO AD LECTOREM.

**V**ix ac ne vix quidem nostræ dissertationis rubrum perlecturus statim de tractationis impossibilitate cogitabit forte alius, alius vero de temeritate & audacia; alius sibi repræsentabit aliud. Sed hi erunt fere, qui nihil re-  
ctum, nisi quod ipsorum moribus conueniat, putabunt. Hi, si didicerint, cogitarintque, haud esse paucos, qui omnem in sacrâ paginis tractationem de Christo, salutis nostræ fonte, negent pernentque, nulla ex alia ratione, quam quia contradictria, & quod horrendum absurdissimumque, ridicula, maleque cohærens ipsis videtur; non admirabuntur, nos expuris ratiocinii & rationis principiis saluberrimam pariter atque necessariam de satisfactione doctrinam exponere, atque optimam, minimeque negandam rationis revelationisque stabilire harmoniam. Absit tamen, putas, nos docere, semper iisdem verbis lumen hæcce consentire. Absit tamen etiam, contradictionem inter eanostatuere, putas; id quod valde est absurdum. Nam quoniam Dei sanctitas negari nequit, quæ in Deo nullam contradictionem admittit; (§.50. Th.N.) ratio vero atque revelatio ab Eo, tanquam ab auctore dependent; ideo ulla inter hæc sensus sermonisque contrarietas esse nequit. Ergo nulla etiam, nisi adparens,

A 3 (quæ



(quæ nulla) est statuenda contradictionis. Ergo consensus semper adsit est necesse inter veritates, ex ratione deducatas, & inter veritates ex scriptura sacra, (quæ vera est reuelatio,) hauftas. Talis vero consensus dicitur harmonia fidei & rationis. Harmonia itaque fidei & rationis negari nequit. Quoniam vero reuelatio diuina vera, aliquas proponit & proponere debet veritates, quæ naturaliter ab homine cognosci minime possunt, (§. 72. Th.N.) ideo & ratio hiscē non contradicere veritatibus, sed cum iis potius suauissime consentire debet. (§. 70. Th.N.) Duplex ergo datur harmonia fidei & rationis. Vel enim easdem, quas scriptura sacra docet, veritates ex philosophicis etiam principiis demonstramus; vel theologicas & philosophicas veritates sibi contradicere negamus, apparentemque, si quæ exsurgat, inter eas contradictionem, apta conciliatione, tollimus. In priori casu harmoniam vocabimus (a) positiuam, in posteriori negatiuam. Quum itaque utramque bac in materia obseruauerim & adnotauerim; inutilem laborem me non suscepisse, spero. Ceterum citationes, quæ hic occurrunt, inuenies B.L. in Cursu nostro Philosophico,

## TRACTA-

(a) Cum S. R. D. D. IAC. WILHELM. FEVERIJNO, Theologo & Philosopho Altorffino longe cel. in dissert. inaug. theol. ad Art. XVIII. August. confess. de Libero arbitrio.



## TRACTATIO.

### §. I.

**D**um, humani generis conditorem, (§. 1-17. Th. N.) & imperantem, (§. 6. Ph. Pr. Vn.) hominibus, tanquam suis subditis, (§. 6. Ph. Pr. Vn.) non solum leges officiaque, erga DEum, se ipsos, aliosque homines, præscribere posse, sed reuera etiam præscriptisse, secundum quas viuere deberent necessario; abunde satis demonstrauimus, in Philosophia practica vniuersali, (§. 5-18.) & in tota iurisprudentia naturali.

### §. II.

Verum si actiones hominum hodie attendimus, nil fere, nisi legum officiorumque neglectum perspicere licet: quod *peccati* nomine venit. Paucissimi enim de cognitione Dei eiusque attributorum, ex quibus tamen sanctæ vitæ motiva desumi debent, (§. 16. I. N.) sunt solliciti; multo minus summum Numen cultu ipsi debito, prosequuntur, vt potius multi magno mentis fastidio, cultum DEo prætent. Et quamvis omni animi cura omni-

omnibusque viribus peccata fugiant, eaque detestentur; nihilo minus tamen inclinationem quandam ad peccata in ipsis haud raro sentiunt, immo peccati dulcedine, seu grata sensatione, vieti, proh dolor! consentiunt; (quod sub dominio peccati esse dicimus) quæ omnia tristi omnium experientia comprobantur. Ergo quia omnibus viribus peccata fugiunt, & nihilominus consentiunt; vires etiam legi conuenienter viuendi, amiserunt. (§. 55. Ont.) Ergo amisio virium per totam vitam influunt, nihilque nisi peccata committere possunt. Ergo & procreatio solum sine peccatis esse nequit.

## §. III.

Facile quidem peccati originalis, tanquam mali hæreditarii existentiam, hac occasione probare possem; verum cum ad præsens institutum nil præcise conferat; alio tempore id præstabimus. Hoc tantum adnotare placet, hominem sibi relictum, & sine continua emendatione viuentem magis amare mala, quam bona, id quod experientia denuo claret.

## §. IV.

Homo itaque multis scatet peccatis. (§. 2. 3.) Quoniam vero est a DEo; (§. 1-17. Th.N.) DEus autem perfectissimus & summe bonus; (§. 10. 150. Th.N.) DEus hominem non aliter quam perfectum & bonum creare potuit. Ergo dispiciendum est, in quonam hominis perfectio & bonitas sit querenda.

## §. V.

Consistit scilicet peccatum in actione, quæ fit contrarie leges; vitium vero morale in habitu actiones suas ratione contraria dirigendi, quam lege naturali præscribitur. Quoniam itaque bonum morale est, quod legibus conuenit; perfectio vero, si res ita comparata est, ut finem consequatur.

## REDEMTORE.

9

sequi possit; DEus vero homini leges præscriptis, secundum quas viuere debuit necessario: (§. 1.) DEus hominem ita etiam creare debuit, vt leges ab ipso præscriptas per bonitatem & perfectionem concreatam, obseruare potuisset. (§. 4.)

### §. VI.

DEus hominem ita creare debuit, vt leges, ab ipso, homini præscriptas, obseruare potuisset. (§. præc.) Ergo possibile erat, vt in actionibus hominis nullum quis commonistrare potuisset malum: quod cum dicimus *iustitiam*; DEus hominem creare debuit cum iustitia.

### §. VII.

Ex eadem ratione (§. præc.) adducta liquet, DEum etiam hominem creare debuisse cum sanctitate. Nam si homo leges a DEo præscriptas obseruare potuisset; (§. 5.) sane harmonia adsuisset actionum suarum cum lege, quæ *sanctitas hominis* dicitur. Quoniam itaque DEus hominem ita creare debuit; (§. citat.) creare etiam eum debuit cum sanctitate, id quod ex iustitiae conceptu etiam patet. Nam quia iustus a DEo creabatur; (§. præc.) qua de causa in actionibus suis nullum quis ipsi commonistrare potuisset malum; (§. cit.) non potuit non esse aliter, quam vt harmonia aliqua inter hominis actiones, legemque DEI conspiceretur. Hæc vero harmonia dicitur *sanctitas hominis*; DEus ergo hominem creare debuit sanctum. (§. præc.)

### §. VIII.

Quodsi itaque iuste sancteque viuere potuisset homo; (§. 6. 7.) tanta instructus esse debuit cognitione, vt in illis rebus, quæ ipsi erant cognitu necessariæ, ideas haberet distinctas. Hoc vt eo facilius intelligi possit, paucis demonstrabimus,

B

### §. IX.

## §. IX.

Ante omnia vero tanquam per experientiam probatum adsumimus, peccatum, si non omne, (hoc enim iam euoluere nolumus) aliquod tamen, si facimus, nos appetere. Quoniam vero nil appetimus, nisi sub ratione boni; (§. 128. Psych.) peccatum etiam, si quod committimus, sub ratione boni nobis repræsentemus, est necesse. Qui vero malum sub ratione boni, hoc est, tanquam bonum, sibi repræsentat; malum habet pro bono, quod est confusio; (§. 28. 30. Log.) peccatum ergo hoc modo commissum ex confusione oritur.

## §. X.

Verum dicis: non semper homines malum, tanquam bonum sibi repræsentare, neque adeo duas hasce ideas inter se confundere, dum probe sciunt, rem hanc esse malam, nihilo minus tamen eam appetere. Ad hocce vero dubium vt respondeamus, duo sunt obseruanda. Nam quamvis concedamus esse casus, vbi quis rem, quam malam esse non ignorat, appetat; non tamen rem hancce appetit, quia est mala, aut quia eam tanquam malam cognoscit; sed potius, quia ex hoc malo voluptatem percipit, quod hac ex ratione tanquam bonum considerat omnino. (§. 89. Psych.) Putat enim, et si erronee malum hocce, quod appetit, ad perfectiōnem eius aliquid conferre, quo ipso autem distincte illud minime repræsentat, cum alias non tam peruerse iudicasset. Ergo etiamsi cum alia re, malum non confundat; attamen in ipsa re notas connexionemque distincte minime perspicit confusionemque excitat, seu in genere quidem aut clare rem hancce malam esse nouit; non tamen pro tanto habet, quantum estimandum est omnino. Absit ergo, vt dicas: peccata

non

non prouenire ex confusa repræsentatione, & homines  
appetere rem tanquam malam.

## §. XI.

Operæ premium ducimus, vt dicta exemplo quodam illustremus. Ponamus enim iuuenem bonæ indolis, beneque alias educatum, omni tamen pecunia ad commoditatem iucunditatemque necessaria, carentem. Quodsi hic in loco quodam pecuniam inuenit, occasio nemque videt, aliquam eius partem secum auferendi; fieri potest, vt occasionem hancce non dimittat, sed potius summam quandam detrahat. Non quidem sine excitata conscientia, in ipso reclamante, hanc actionem committet; attamen pecunias appetit, eaque aufugit. Patet itaque pecunias, suamque hanc actionem eum appetere, non quia mala est, sed quia vt medium, hæc sibi repræsentat commode, iucunde feliciterque viuendi. Et quamvis conscientia cum mali, quod hac ratione ab ipso prouenit, satis conuincat superque, ipseque iudicet, actionem inter malas esse referendam; attamen hisce, falsa si qua consolatione, in se supprimit cogitationes, putans, neminem adesse hominum, aut non multum interesse, DEumque sibi rursus reconciliare posse. Ex quo manifeste elucet, in genere quidem, siue clare, actionem eius tanquam malam cognoscere; non vero in specie in connexione seu distincte. Ad distinctam enim rei in se cognitionem, rem talem esse, cognoscere, non sufficit, sed partes rei eiusque connexionem nobis etiam repræsentemus, est necesse. (§. 30. Log.)

## §. XII.

Quod vt eo melius intelligatur, probabimus etiam nostram thesin ex motiuorum doctrina. Anima scilicet nil appetit, aut auersatur, sine motiuis, (§. 132. P̄lych.) &

B 2

quo

quo validiora sunt motiva eo maior est appetitus, vt etiam experientia constat. (§. 132. Pl.) Quum ergo in distincta rerum representatione validiora sunt motiva, quam in obscura, vbi nexus rerum, non tam complete, secundum omnes circumstantias nobis representamus; distincta rerum representatio magis ad appetendum nos impellit, quam confusa. Quoniam itaque nihil appetimus, nisi sub ratione boni; (§. 130. Psych.) per distinctam vero cognitionem, melius rem, an bona aut mala sit, cognoscere possumus; distincta mali cognitione minime motiva praebere potest ad appetendum, sed potius ad auersandum. (§. 128. Pl.)

#### §. XIII.

Ergo quia distincta cognitione ad malam actionem motiva non praebet, (§. præc.) confusa vero & obscura, malum facile vt bonum nobis sis sit, (§. 131. Psych.) quod anima appetit, (§. 128. Psych.) quia adfunt motiva; (§. 12.) confusa cognitione ratio est motiuorum ad malam actionem, quæ moraliter considerata peccatum est; (§. 5.) ex confusa ergo cognitione oriuntur peccata.

#### §. XIV.

Alterum vero, quod contra originem peccati adductum profertur dubium, eodem modo facile soluitur. Consistit autem in eo, quod sæpe homines agant peccata sine prævia cognitione & meditatione. Hinc concludunt: si ex nulla prævia cognitione & præmeditatione homines peccant; sequitur, quod etiam non peccent ex confusa cognitione. Sed verum est prius, ergo & posterius. Verum nego prius, & quidem ex dupli ratione. Nam representationes, iudiciaque de rebus representatis, tam subito in mente oriuntur, & sese inuicem sequuntur, vt nisi probe attentione adhibita, ea a se inuicem discernere nequeamus. Hinc est, vt haud raro eruditus (non ergo iam dicam

dicam de imperitis & indoctis,) vitium committant sub-reptionis. Deinde etiam motiva latent in confuetudine agendi, quæ ex antea iam descripto modo elucet. (§. 136. Pf.) Ergo ad casum, quo prima vice aliquid voluimus, in hac agendi confuetudine attendere debemus; (§. 137. Pf.) vbi, hæc peccata ex confusa cognitione originem ducere facile patebit; ex qua ratione deinceps negari nequit, peccata oriri ex confusa representatione.

## §. XV.

Ergo quia peccata ex confusa oriuntur representatione, (§. 9 - 14.) in statu vero, quo homo a DEO creabatur, peccare non potuisset; (§. 6, 7.) sane liquet: DEum in tali statu, distinctis, quoad res ipsi cognitu necessarias, eum exornasse ideis. (§. 8.)

## §. XVI.

Prædictus itaque erat homo in tali statu non solum distincta rerum cognitione, (§. 15.) sed & sanctitate, (§. 7.) & iustitia. (§. 6.) Quoniam itaque DEus etiam distincta gaudet cognitione, (§. 32. Th. N.) sanctitate pariter atque iustitia; (§. 50. Th. N.) similitudinem aliquam DEum inter atque hominem obseruamus: quum vero similitudo talis imaginem constituat; (per definit.) DEum ad sui imaginem hominem creasse, negari nequit. Immo eum sua cum imagine creare debuit. (§. 6 - 15.)

## §. XVII.

Status in quo homo imagine DEI est ornatus, dicitur *status innocentiae*, seu *integritatis*. Homo ergo in statu fuit innocentia. (§. 16.)

## §. XVIII.

Patet ergo harmonia etiam positiva fidei & rationis quoad imaginem diuinam & statum innocentiae, quæ ultius explicare possemus, si tempus institutumque nostrum permitterent.

B 3

§. XIX.

## §. XIX.

Quoniam vero D<sup>E</sup>us nunquam peccat; (§. 118. Th.N.) homo vero ad D<sup>E</sup>l imaginem conditus erat; (§. 16.) homo etiam ex intentione D<sup>E</sup>l peccare non debuit, vt pote quod sanctitati eius erat inimicum. (§. 16. & 50. Th. N.) Nam quia cum imagine sua creare hominem debuit; (§. 56.) quæ in sanctitate, hoc est, harmonia cum lege, & iustitia, qua nullum ipsi commonistrari potuisset malum, constabat, (§. 16. 6. 7.) creare eum non potuisset, cum ipso peccato, seu habitu peccandi, aut voluntate peccandi, quod esset contradictionis, quæ in D<sup>E</sup>um non cadit. (§. 50. Th. N.)

## §. XX.

Male ergo faciunt, contradictionisque D<sup>E</sup>um arguant, qui eum voluisse, statuunt, vt homines peccarent, aut ipsum peccatum necessarium esse, perhibent. (§. præc.)

## §. XXI.

Quoniam vero homo peccare non debuisset, viribusque peccata omittendi sufficientissimis instrutus, secundum leges diuinas suas actiones componere potuisset: (§. 19. 5.) iam vero in tali statu, proh dolor! non amplius existit, (§. 2. 3.) talis vero mutatio, qua moralis hominum natura bona, fiebat moraliter mala, *lapsus* dicitur: hominum etiam lapsus negari nequit.

## §. XXII.

Quia itaque homo quotidie peccat, (§. 2.) & lapsus eius manifestus est; (§. 21.) inter creaturas pertinet moraliter malas. (§. 5.) D<sup>E</sup>us vero cum creatura mala, quamdiu est mala, se se non coniungit, neque coniungere potest; (§. 50. Th.N.) D<sup>E</sup>us ergo cum homine hoc in statu se se minime coniungere potest.

## §. XXIII.

Quum itaque D<sup>E</sup>us cum homine iam se se coniunge-

re

re nequit; (§. præc.) in hac vero coniunctione DEI, beatitudo hominis, tanquam felicitas alterius vitæ consistit; (§. 127. Ph.Pr.Vn.) beatus, homo propter peccata iam fieri nequit.

## §. XXIV.

Porro homo peccator actiones suas legi diuinæ conuenienter non componit, adeoque vitiosus est, non virtuosus. (§. 5. & §. 108. Ph.Pr.Vn.) Quoniam uero nemo felix esse potest, nisi qui est virtute præditus; (§. 133. Ph.Pr.Vn.) homo peccator hac in vita felicem se reddere minime valet.

## §. XXV.

De differentia beatitudinem inter atque felicitatem, (vid. §. 138. Ph. Pr. Vn.)

## §. XXVI.

Homo peccator neque beatus, (§. 23.) neque felix esse potest. (§. 24.) Beati vero in æternum videbunt DEum, ex quo voluptas oritur ineffabilis (§. 147. Th.N.) Homo ergo peccator neque DEum videbit, neque voluptate hinc resultante frui poterit. Ergo quia felix etiam esse nequit, (§. 24.) voluptatem illam felicitatis consequi non potest. Hæc vero ipsi sunt mala: (§. 36. Ontol.) homo ergo peccator sentiet nil, nisi mala.

## §. XXVII.

Non vero hæc mala priuatiua solum sentiet peccator, sed & alia positiua; id, quod ex pœnis naturalibus non solum, sed & ipsa damnatione æterna facile intelligitur. (§. 52. Ph.Pr & §. 148. Th. N.) Quodsi itaque homo miseria suæ æternitatem sibi repræsentat; non potest non maxima inde sequi miseria, præcipue si cogitet, quod huius miseria ob immortalitatem mentis humanæ, repræsentatio in æternum duret, & quod maximum, nullum perspicere possit medium, quo ex tot tantisque malis liberari queat, vti mox demonstrabimus.

## §. XXVIII.

## §. XXVIII.

Eo ipso autem dum hæc cogitat, non solum conscientia accusatio, sed & euigilatio sequitur. (§. 77-79. Ph. Pr. Vn.) Cum his sæpiissime morsus conscientia connectuntur, variaque tædia, qualia sunt: terror, metus, ira, desperatio, pudor, pœnitentia, &c. (§. 78. Ph. Pr. Vn.) Ex quibus omnibus miseria peccatoris maxima elucet, quam tamen pro dignitate satis describere non possumus.

## §. XXIX.

Verum hæc mala ex peccatis non solum prouenire solent, sed etiam prouenire debent, id, quod ex iustitiae attributo, DEO competente, facile vterius demonstrari potest, præcipue si sapientissimam diuinæ Numinis ordinacionem, directionem & prouidentiam consideremus. (§. 149. Th. N.) Nam quia DEus in mundo omnia ita ordinavit, ut bonis, qui leges suas obseruant, omniaque ita ordinant, vti ipse ordinavit, necessario sit bene; (§. 140. Th. N.) hominibus peccatoribus, qui leges Dei haud obseruant, & ideo ordinationi diuinæ resistunt, bene esse non potest, quin potius mala sentiant maxima. Quodsi enim malis etiam bene esset; in ordinatione diuina facile monstrari posset malum, adeoque iustus non esset; (§. 52. Th. N.) quo ipsi harmonia attributorum tolleretur, quod est absurdum. (§. 50. Th. N.) DEus ergo propter iustitiam pœnas infligere debet peccatori.

## §. XXX.

Quoniam vero DEus hominem cum imagine sua creauit, (§. 16.) qua ornatus leges obseruare potuisset: (§. 19.) pœnas hasce sibi ipsi imputet homo. (§. 25. Ph. Pr. Vn.) Male ergo faciunt, qui DEum tanta iniustitia sibi repræsentant, ac si pro lubitu quosdam hominum puniret & reprobaret, alios vero eligeret absoluto aliquo decreto. Absolutum ergo illud decretum figmentum est, & dogma horrendum.

## §. XXXI.

## §. XXXI.

Quodsi ergo homo peccator, de tristi suo, qualem sibi per peccata attraxit, statu, serio, cogitat, felicitatemque æternam, ad quam conditus est, (§. 42. Ph. Pr. Vn.) amissam esse, perspicit; non potest non imperfectiones hasce tanquam maxima sibi repræsentare mala. Quoniam vero malitia aueratur anima; (§. 128. Psych.) hoc in casu omnibus viribus elaborabit, ut ex miseria rursus elabi, pristinoque felicitatis statu frui, valeat.

## §. XXXII.

Ergo si homo peccator viam & medium emiseria sua elabendi quærat, quo felix rursus esse possit; inter alia per experientiam discit, quod per obliuionem & cogitationum depressionem & dispersionem, a variis se interdum liberauerit molestis sensationibus & cogitationibus. Hinc in hoc casu media hæcce applicat, videns, an non finem suum consequatur. Verum ipso etiam experientia condocet, media hæcce vana esse. Sapientissime enim meas per imaginationem, eiusque legem, multarum antea peractarum actionum conscientia redditur, quo propter ideas accessionis, mala illæ haud rursus excitantur atque exsurgunt sensationes & cogitationes; (§. 17. Psych.) ut potius conscientia, statim euigilante, multo maiores peioresque patiatur sensationes, multo interdum labore in fugam disificendas. (§. 77. seqq. Ph. Pr. Vn.) Et si vel maxime conscientia obdormiat ad tempus, quietisque animæ concedat, non tamen inde tollitur iustitia diuina, sapientia & eius sanctitas, per quæ attributa, homo conuincitur, pœnis eum esse afficiendum. (§. 29.) Quia propter omnia illa mala remanent, quæ adduximus. (§. 23. seqq.) Quæ cum ita sint; nemo dicias actiones tanquam media considerabit, quibus acquiescentiam mentis, felicitatemque amissam recuperare possit.

C

## §. XXXIII.

## §. XXXIII.

Ergo quia dicta media insufficientissima sunt, (§. præc.) anima tamen lubentissime liberationem quærerit; (§. 31.) alia via incedit. Perspicit scilicet abunde, nullam se habere posse acquiescentiam, nullumque felicitatis, siue temporalis, siue æternæ, genus, quamdiu in statu hoc peccati iræque DEI, iusti iudicis, permaneat. (§. 22 - 29.) Hinc expiare DEum intendit, vt iterum sese cum eo coniungere, felicitateque frui, queat, (§. 22.) ad quam est creata. (§. 42. Ph. Pr. Vn.) Hoc ergo aliter fieri nequit, (quia per peccata tanta sibi attraxit mala,) quam vt talem sibi comparet statum, quo fiat, vt peccata sua amplius non existant. Talis vero actio, qua sit, vt iam existens, amplius non existat, dicitur *annihilatio*; peccata ergo sunt annihilanda.

## §. XXXIV.

Peccata sunt annihilanda. (§. præc.) Quoniam vero peccata relationes sunt, (§. 58. Log.) quæ in rerum natura non existunt, (§. 61. Log.) existentia peccatorum mutari non potest in non-existentiam; peccata ergo physice annihilari nequeunt. Dicitur enim *annihilatio physica*, si reuera existens, seu ens actu mutetur, vt amplius non existat. Porro quia impossibile est, idem simul esse & non esse; (§. 26. Ontol.) impossibile etiam est, vt actio non sit actio, id, quod de omissione quoque valet, si omittendo peccata fuerunt perpetrata. Semper enim præcedens actio vel omissione manet, etiamsi alio modo corrigatur. Peccatum insuper factum est in mundo, vbi nexus deprehenditur, adeoque consequentia multa cum eo sunt connexa. Hunc vero nexum nec tollere nec mutare homo potest. Nullum itaque factum physice annihilabitur, & in se contradictorium, & humanis viribus eo minus efficietur; vt bene monet Vir cl. GOTTLIEB. FRID. HAGEN, fautor noster singulariter

CO-

colendus, in Diff. pererudita: de expiatione peccatorum,  
quantum ratio de eadem docet. §. XIV. in fine.

## §. XXXV.

Quum itaque peccata physice annihilari nequeant;  
(§. præc.) annihilatio tamen valde sit necessaria; (§. 33.) dis-  
piciendum est, annon moraliter peccata annihilari possint.  
Dicitur autem *annihilatio moralis* relatio, qua factum aliquod  
consideratur, tanquam factum non fuisset. Annihilatio  
vero peccatorum moralis, qua sit, vt DEus propter iusti-  
tiam placatam, cum homine, antea peccatore, rursus sese  
coniungat, *expiatio peccatorum*. Peccatorum ergo expiatio,  
si peccatores felices rursus esse cupiant, est necessaria. (§. 33.)

## §. XXXVI.

Si ergo expiatio peccatorum est annihilatio peccato-  
rum, (§. 35.) quæ iram DEI, eiusque & iustitiam prouocant, ex  
qua penæ proueniunt; (§. 29.) per expiationem non solum  
1) iustitia pacatur, sed & 2) penæ promeritæ cessant, quo fit,  
vt DEus cum tali expiato, rursus sese coniungere, & homo  
talis felicitatem amissam consequi iterum possit.

## §. XXXVII.

Quoniam vero ex peccatis morsus conscientiæ alia-  
que mala originem trahunt; (§. 27. 28.) per expiationem 3)  
morsus conscientiæ aliaque mala, quæ inde oriuntur, pror-  
fus tolluntur, ingrataque inde proueniens sensatio cessat.  
Præterlapsò autem malo, homo talem statum tanquam bo-  
num sibi repræsentat, quod voluptatem creat, (§. 89. Psych.)  
expiatio ergo peccatorum 4) voluptatem creat, atque læti-  
tiam & oblationem. (§. 107. Psych.)

## §. XXXV.

Per expiationem annihilantur peccata; (§. 32.) ergo  
non amplius homo in statu est peccati, vt potius DEus cum  
tali rursus sese coniungere possit. (§. 30.) Quoniam igitur

C 2 DEus

DEus non amplius propter placatam iustitiam impeditur, vt homini expiato sit benignus; (§. 36.) homo vero ad felicitatem æternam conditus est; (§. 33.) quam tamen sine viribus legi conuenienter agendi, consequi non potest; (§. 55. Ont.) per expiationem ipsi s) vires restituuntur bene agendi, dominiumque peccatorum aufertur. (§. 2.) Per principium itaque reductionis homo in tali statu per expiationem deprehenditur, vt fuit cum imagine diuina; per expiationem ergo imago diuina homini iterum restituitur. Verus ergo expiationis modus, omnia hæcce requisita habeat, est necesse, quæ adduximus. (§. 36. seqq.)

### §. XXXIX.

Vt itaque homo ex tanta se liberare queat miseria; in memoriam reuocat, quod haud raro aliorum hominum amor, gratia & annihilationis peccatorum moralis recuperari possit, si serio omnia sua peccata & malefacta, cum firme emendationis proposito, detestentur, id quod *penitentiam* vocare solent. Verum quia iustitia diuina necessario postulat pœnas, (§. 29.) in penitentia vero nullæ locum habent; penitentia, verus expiationis modus esse nequit. Manent ergo adhuc promerita pœnae; morsus conscientiae atque dolores, immo potius omnia hæcce mala maximopere augentur, dum hac ratione nullum elabendi medium perspicit, ita vt facile inde desperatio, aliqua mala prouenire possint. (§. 109. Psych.)

### §. XL.

Sed fortassis ad summam, qua DEus prædictus est, benignitatem & misericordiam confugis, & expiationem hoc modo consequi putas. Verum hac ratione iniurius es in sanctitatem dei eiusque attributa. Quodsi propter sanctitatem harmonia adest omnium in deo attributorum; (§. 50. Th.N.) misericordia maior esse non potest, quam iustitia, quod

quod vero hoc in casu omnino sequeretur, dum iustitiae effectus, attamen necessarii, prorsus cessarent. Videtur quidem iustitiae DEI in pœnitentia, propter varios dolores, quos anima pœnitens sentit, fieri sat. Verum hæc mala, quamvis eorum sensum non negamus, non sunt ab imperante DEO profecta, sed homo sibi ipsi excitata, adeoque etiam nullæ pœnæ. (§. 52. Ph. Pr. Vn.) Iustitia vero absolute pœnas postulat; (§. 29.) misericors ergo Deus fieri numquam potest, nisi iustitia per pœnarum irrogationem fuerit placata. DEO enim eiusque decreto, adeoque etiam decreto de peccatorum pœnis, immutabilitas adscribi debet. (§. 76. Th. N.)

## §. XLII.

Hæc si probe perpendamus, facile occurrere possumus aliis, quæ hic formantur, dubiis, scilicet; 1) DEum hoc modo fieri multo crudeliorem homine, 2) cum tamen nil aliud, peccata expiandi, in homine reperiatur; 3) infelicitate infelicitatem augere, & quæ sunt alia. Verum hæc ex confusa, de DEO, idea, & vitio Anthropomorphismi (§. 43. Th. N.) propullulare solent. Deus enim iustitiam suam omnibus oculos ponere debet, adeoque non potest, ut homo mutabilis, generofus esse interdum: (liceat ita loqui) potius quia homo sibi ipsi hasce pœnas imputare debet, dum vires per concretam imaginem ipsi concessit, infelicitate dignus est omnino.

## §. XLII.

Quoniam itaque misericordia sine antecedente iustitiae effectu locum minime habet; (§. 40.) *aggratiatio*, seu relatio, qua Deus sine adhibitis pœnis ex mera gratia homini peccatori condonat, imperfectionesque eius tanquam non facta considerat, modus expiationis etiam esse nequit. (§. 38.)

## §. XLIII.

Ex eadem ratione (§. præc.) adducta, modus, (DEum ad misericordiam & aggratiationem mouendi, oratio scilicet seria, corporisque laceratio, & animalium destrucción) cadit. Quapropter eadem de iis valent, quæ de pœnitentia proposuimus. (§. 39. lqq.) Non ergo modis, DEum expiandi sunt adnumeranda. (§. 38.)

## §. XLIV.

Quoniam vero quotidie obseruamus, amorem læsi, rursus homines, præstata satisfactione, sibi conciliare; & hunc expiandi modum non prætermittere licebit. Est autem *satisfactio*, relatio,

seu actus, quo alteri præstatur id, quod iure postulare potest, ut facta tanquam non facta considerare queat. Quoniam vero DEUS exactissimam legum suarum obedientiam postulat, (§. 1.) aut hac cessante perfectionem poenarum temporalium & æternarum certissime infligit; (§. 22-29.) sequitur, eum, qui DEO satisfacere velit, vel pro se, ipse exacte obediatur legibus, (quod tamen certis conditionibus pro aliis fieri poterit) vel poenas patiatur temporales atque æternas pro alio. Nemo enim pro se poenas æternas loco satisfactionem sustinere poterit. Hasce enim patitur tanquam promeritas, adeoque eo ipso, quia sunt æternæ, gratiam & felicitatem rursus sibi conciliare nequit.

## §. XLV.

Quodsi itaque per satisfactionem, facta, adeoque etiam peccata, tanquam non facta considerantur; (§. 44.) iustitia diuina non solum placatur per satisfactionem, (§. 36.) sed & ipsæ poenæ peccatorum cessant, (§. 36.) vñacum mœrore, morsibus conscientiæ, aliisque malis plurimis. (§. 37.) Contra producuntur per eandem voluptas atque lœtitia, (§. 37.) viresque iterum bene agendi, (§. 38.) eaque propter verus est satisfactio exaudiendi modus. (§. 38.)

## §. XLVI.

Ergo quia homo propter defectum virium legem implere nequit; (§. 38.) neque poenas æternas sustinere valet; (§. 44.) homo DEO satisfacere non potest. Adeoque dubium cadit, ac si DEO satisficeret per poenarum passionem.

## §. XLVII.

Excluduntur ergo per §. præc. etiam a satisfactione alii homines.

## §. XLVIII.

Quoniam ergo a satisfactione excluduntur homines; (§. 46. 47.) alius DEO pro hominibus satisfacere debet. Ergo quia talis pro aliis satisfactionem præstare tenetur; non fieri debet pro se ipso. Pro se vero aliquis DEO satisfacit per exactam legis obedientiam; (§. 44.) qui ergo pro hominibus DEO satisfacere cupit, non ex lege iam ad hanc actionem obligatus sit, necesse erit. Ergo aliquid mereri debet. (§. 25. Ph. Pr. Vn.) Ergo quia omnes homines non solum propter (§. 46. 47.) sed & ex lege de promouenda omnium salute & perfectione sunt obstricli; (§. 77. I. N.) creatura vero alia, etiamsi viueret, sanctissime, propter dependentiam a DEO necessaria sunt,

fariam, (§. 3-17. Th. N.) ex legibus iam obligetur; (§. 6. 7. Ph. Pr. Vn. & §. 1.) nulla creatura, (adeoque etiam nullus homo, quia homo, si fingere possemus quendam sanctissimum) DEO satisfactionem praestare potest. Id quod etiam porro exinde patet, si consideremus, quod satisfactione, propter vniuersalem DEI erga homines lapsos gratiam, (§. 50. Th. N.) vniuersaliter pro omnibus hominibus sit praestanda. Quum itaque omnis æterna damnatione dignus sit; (§. 2. 29.) damnationem æternam omnium perferre debet expiator. O! quantus dolor, quanta mala expiator!

## §. XLIX.

Quia itaque nulla creatura satisfactionem & expiationem praestare potest; (§. 44. 48.) præter creaturas vero & creatorem, qui DEus est, (§. 25. 78. Th. N.) quia sunt ideae contradictione oppositæ, nullum datur tertium; (§. 64. Log.) DEUS DEO, satisfactionem praestare tenetur. (§. 44.) Quoniam vero unicus datur DEUS; (§. 152. Th. N.) in DEO plures esse debent personæ. Pluralitas ergo in DEO non est contradictione.

## §. L.

Quoniam vero DEUS est ens mere actuum, (§. 2. Th. N.) pati adeoque poenas sustinere non potest. (§. 52. Ph. Pr. Vn.) Ergo quum tamen per æternarum poenarum perpetuationem satisfactione fieri debet; (§. 44.) cum DEO aliud ens coniungatur, est necesse, quod pati possit; hoc ergo esse debet creatura. (§. 49.)

## §. LI.

Expiator aliquid apud DEUM mereatur. (§. 48.) Ergo esse debet substantia intelligens, utpote quæ in hoc negotio omnia cognoscere & imputare sibi aliquid possit. (§. 25. Ph. Pr. Vn.)

## §. LII.

DEUS ergo solus, aut creatura sola satisfactionem praestare minime posunt, (§. 48. 50.) sed debent vniiri. (§. 50.) DEUS ergo & creatura intelligens vnum constituere debent suppositum. (§. 22. Ontol.) Suppositum vero intelligens dicitur persona; (§. cit. Ont.) sicuti expiator totius generis humani, mediator, seu redemptor. Vnus ergo mediator est inter DEUM & hominem.

## §. LIII.

Ergo si mediator apud DEUM aliquid meretur; (§. 48.) esse debet sine peccatis, ne pro se satisfactione opus habeat. (§. 25. Ph. Pr.

## 24 DE INSUFFICIENTIA RATIONIS AD SALVTEM.

Pr. Vn.) Ex quo vltierius sequitur, nullam eum habere posse natu-  
ram peccatis obnoxiam.

### §. LIV.

Qui vero satisfactio præstatur pro hominibus, dum redemtor  
pœnas peccatorum in se recipit; (§. 49. 53.) pœnae autem non so-  
lum æternæ, sed & temporales sunt; (§ 23. 28.) pœnas etiam tempo-  
rales in se suscipere potest & debet mediator. Hæ vero nonnun-  
quam infirmitates corporis sunt, quibus peccator premitur; ergo  
non solum possibile sed etiam probabile & necessarium est media-  
toris corpus. Expiator ergo corpore constat, & spiritu. (§. 51.) Talis  
vero substantia corpore & mente constans dicitur *homo*. Redem-  
tor ergo homo esse debet. Ergo non solum possilitas, sed &  
necessitas ex dictis elucet. Ergo est DEus, (§. 49.) & homo in una  
persona, (§. 52.) quæ dici potest θεονθυματος.

### §. LV.

Quodsi itaque redemtor hominum est homo; (§. 54.) sine ta-  
men peccatis; (§. 53.) naturaliter vero geniti omnes in peccatis pro-  
creantur; (§. 2.) naturaliter generari & procreari minime potuit  
optimus redemtor, sed per miraculum, (§ 41. Th.N.) siue ex nihilo,  
siue ex foemina, siue alio modo. Quodsi ex femina ipsis placuerit;  
fine difficultate ex omnipotenti concipi omne potest. Nihil  
enim requiritur amplius, quam ut ouulum ex ovario in locum con-  
ceptioni destinatum deferatur, ibique iuste elaboretur. Ergo & si-  
ne mare tota hæc conceptio & generatio locum habere potest.

### §. LVI.

Verum quia DEus nunquam fieri potest creatura, seu homo,  
& vice versa; (§. 10.) vno in mediatore generis humani non consi-  
lit in commixtione, aut confusione, aut conuersione; sed potius  
realis est vno. (§. 56. Ont.)

### §. LVII.

Attamen quia una natura solum considerata, opus redemptio-  
nis peragere, & absoluere, minime valuit; (§. 52.) qua de causa etiam  
vniri debent; vno hæc realis (§. 54) tam arcta sit, necesse est, ut  
una ab altera participare possit; ex quo communicatio naturarum  
fluit, de qua tamen iam nihil dicemus.

Interim sit

DEO LAVS ET GLORIA.

CLARISSIMO

## DN. RESPONDENTI

S.

**C**Vm omnis fere *Europa*, vel saltem maxima eiusdem pars, ad bellum, quod multis imminet prouinciis, semet accingat, TV quoque armatus incedis. Quodque vix crediderim, ipse TV *bel-landi caussam* suggeris. Et, ne hostes deficiant, amicissimos TIBI quosque conqueriris, eosque ad certamen prouocas. Inter eos & ego ad eundem prouocatus conflitum in palæstram, si Deus vires concesserit, descendam, meumque gesum in TE coniiciam. Sic me, ex voto TVO, habebis aduersarium, ast amicum magis, quam inimicum, ne vlla mihi effugiat occasio, qua mentem meam erga venerabile WILISCHIORVM nomen, quod ad tumulum vsque pie colo, publice testari, simul ac TVIS tandem satisfacere queam petitis. Agedum! præsta TE virum! Eruditionis & industriae palma in medio posita est. WILISCHII mei peregredia vtriusque TIBI præbent exemplaria. Sis plurimarum palmarum homo. Tuæ, quam repor-tabis, victoriæ testis ac præco erit

Dabam e museo meo, a Iu-  
thero quondam inhabita-  
to, ipsis calendis Martii  
A. R. S. CLO CC XXXV.

M. Iustus Israel Beyer,  
Adv. Elect. Sax. & Fac. Philos. in alma hac  
Fridericiana Adiunctus.

D

NO-

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO  
DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

CHRISTOPHORVS ANDREAS BVTTNERVS.

**P**AUCIS quidem verbis, at Prolixo gratulandi animo, officium TIBI praesto, Nobilissime Domine Respondens! TV enim te haec tenus omni diligentia, virtuti studiisque tradidisti, ut nihil supra. Gratulantur ergo TIBI dum primum cathedram iam concendis, quicunque virtuti & sedulitati iustum statuere pretium norunt; quibus ego affectu eo propensiiori subscribo, quo penitus illas dotes, suavitatis pectoris candore copulatas, in quotidiano conuictu & consuetudine in collegiis meis perspexi. Perge, quo cœpisti virtutum tramite; ut impleas spem, quam boni omnes, præcipue vero S.R. Domini WILISCHII, quorum merita, in rem sacram & litterariam, per magna sunt, uti fatentur omnes, de TE optimam conceperunt, immo & eandem vincas. Ita enim præmia, quæ mereris, laborum & industriæ, reportabis exoptata. Faxit DEVS T.O.M. ut omnia Tibi cedant feliciter; mibi vero de rerum tuarum lœto successu nunquam non ταῦχεν liceat. Quibus votis toto pectori nuncupatis finio, & TE valere iubeo. Scrib. Hal. d. 28. Febr, A. m̄s xxiij: yronas MDCCXXXV.

¶ 10 ( ¶ )





He 2014

(1)

retro ✓

VD 17.00

TA - 20L W

ULB Halle  
004 760 913



3





5

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
DE  
**INSUFFICIENTIA  
RATIONIS  
AD  
SALVTEM**

---

QVAM  
*AMPLISSIMI COLLEGII PHILOSOPHICI  
PVBLICA AVCTORITATE*  
PRAESIDE  
**M. CHRISTOPHORO ANDREA  
BVTTNERO**  
FAC. PHILQSOPH. ADVNCT.  
IN FRIDERICIANA  
D. MART. ANNO MDCCXXXV.  
*EXERCITII GRATIA DEFENDET*  
**GOTTLIEB CHRISTIANVS OTTO**  
LIPSIENSIS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE  
TYPIS IOAN. FRIDERICI GRVNERTI, ACADEM. ET SENAT: TYPOGR.